



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 1. Quid consuetudo?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

R. Aff. Quia talis est omnino par incolis istius loci. Si tamen quis tenderet in Galliam animo fraudandi legem Concilii, non desunt, qui de valore istius Matrimonii dubitarent.

C A P U T I I I.

De consuetudine, & Legis dispensatione.

§. I. *Quid consuetudo?*

Alia est consuetudo secundum legem, alia præter legem, alia contra legem. Consuetudo secundum legem est, quæ legi est conformis; talis est consuetudo communicandi in Paschate. Alia præter Legem, quæ neque Legi conformis est, neque disformis; ut consuetudo iudicis cœnandi. Consuetudo contra legem est illa, quæ repugnat legi; ut consuetudo vesperi cœnandi in quadragesima opiparè, & lautè.

1. Quot modis potest abrogari Lex per contrariam consuetudinem?

R. Tribus: 1. Si legislator eam expressè approbet. 2. Viâ conniventiae. 3. Viâ præscriptionis.

Abrogatur Lex viâ conniventiae, quando legislator consuetudinem Legi contrariam sciens, & advertens tolerat.

Tollitur viâ præscriptionis, dum inscio legislatore consuetudo invaluit Legi contraria, idque longo tempore.

2. Quantum temporis requiritur, ut consuetudo Legis obligationem tollat?

R. Ut

¶. Ut Lex abrogetur viâ præscriptionis, requiruntur passim 10. anni, si agatur de *Lege civili*; si autem de *Ecclesiastica*, 40. anni: nam in præscriptione consuetudinis, communi omnium ferè sententiâ receptum est, requiri idem tempus, quod requiritur in præscriptione aliarum rerum.

3. An omnis consuetudo vim habeat abrogandi Legem?

¶. Neg. Etenim illa consuetudo, cui legislator repugnat, nihil operatur.

4. Quid requiritur, ut consuetudo vim Legis obtineat?

¶. Debet observari cum intentione introducendæ obligationis, & hoc dignosci potest, quod populus scandalizetur, quando consuetudo non servatur, quando prævaricationes solent reprehendi &c.

5. Quæ consuetudo dicitur rationabilis?

¶. Illa, quæ remotâ Lege, quam molitur revertere, nihil involvit, quod Legi Divinæ, aut naturali adversatur.

6. An consuetudo abrogandi legem malâ fide possit inchoari?

¶. Aff. Quia plerumque sit, quod subditi peccant, quando consuetudinem inchoant Legi contrariam. Ratio petitur ex voluntate legislatoris, qui rationabiliter velle potest, ut consuetudo valeat, licet malâ fide inchoata.